



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

6. Exponi nobis &c. Constitutio Confirmatoria Litterarum patentium à
Provinciae Quitensis Vicario Generali super Cellæ emptione datarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

licā auctoritate reservandis gravari non possint, quodque itabilimentis, & privilegiis prædictis, etiam vigore implicatae derogationis latissime extendendæ, etiam per quascunque Litteras Apostolicas, & qualvis etiam derogationum derogatorias, efficaciores, & insolitas clausulas derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio hujusmodi de Consilio Cardinalium eorundem fiat, & tūc demum Magistri, & Conventus prædictorum ad id accedat assensus, sintque Litteræ derogationum hujusmodi etiam per dictum Magistrum subscriptæ, ac illi, & præfato Conventui per diversas in formā Brevis, aut aliās Litteras diversis temporibus cum certis intervallis præsentatas intimatæ, & non aliās, nec alio modo, & semper in omnibus quæ sic fiunt, etiam de simili consilio, derogationibus sit apposita clausula, quod illarum effectum sortiantur de consensu Magistri & Conventus prædictorum, & non aliās, nec alio modo; quodque ipsi Exactores, & Appaltatores decimas, pedagia, & onera hujusmodi, etiam ab exemptis exigere, & illos ad solutionem, seu contributionem cogere, & compellere possint, seu debeant. Quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum infererentur, præsentibus pro expressis habentes, illis aliās in suo robore permanentes, hanc vice dumtaxat in genere, & in specie, ad effectum præsentium sufficienter, & expresse derogamus, ac derogatum esse decernimus; Quodque vos primam non feceritis in Ecclesiis hujusmodi personalem residentiam consuetam, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 18. Volumus autem, quod antequam gratiæ creationis in Nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios vobis, & supra factā perfrui valeatis, in manibus alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ professionem fidei juxta articulos pridem à Sede prædictā propositos expresse emittere, & solum fidei iuramentum præstare omnino teneamini.

§. 19. Quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur in judicio & extra, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 20. Volumus pariter, atque decernimus, ut illis ex vobis, quibus similes testandi de bonis, ac pensiones transferendi facultates à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostri, quorum respectivè etiam familiares & continui commensales erant, concessæ fuerunt, præsentibus Litteræ quoad facultates testandi de bonis, & transferendi pensiones hujusmodi minime suffragentur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 5. Novembris 1678. Pontificatus Nostri anno tertio.

J. G. SLUSIUS.

VI.

Constitutio Confirmatoria Litterarum patentium à Provinciæ Quitenis Vicario Generali super Cellæ emptione datarum.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **E**Xponi nobis nuper fecit Dilectus Filius Franciscus Montanno Frater expresse Professus, & Procurator Provinciæ Quitenis in Indiis Occidentalibus Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini in S. Theologia Magister, quod cum dicta Provincia quandam Cellam intra Clausuram Conventus S. Philippi Oppidi Madriti ejusdem Ordinis Toletan. Diocesis existentem, pro usu & habitatione Procuratoris ejusdem Pro-

vinciæ, pro tempore existentis sub certis conditionibus, tunc expressis emisisset, Dilectus etiam Filius Dominicus Valvasorius Vicarius Generalis dicti Ordinis vigore facultatis sibi super hoc à Congregatione Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositæ attributæ, emptionem Cellæ hujusmodi, cum omnibus & singulis conditionibus, aliisque in publico desuper confecto Instrumento contentis, confirmavit & approbavit, & aliās prout plenius continetur in ejus patentibus litteris desuper emanatis tenoris qui sequitur, videlicet.

Magister Fr. Dominicus Valvasorius Mediolanensis, totius Ordinis Eremitarum S. P. Augustini Vicarius Generalis Apostolicus. Cum nihil necessarium magis Religiosis sit, quàm Cellæ provisio, quæ proprius eorum locus est, in quo à cæteris semoti degunt, & privatis orationibus post communes preces Deo famulantur; Idcirco Provincia Nostri Quitenis in Conventu Nostro Sancti Philippi Madriti prudenti judicio Cellam emit, in quā sui pro tempore Procuratores siueque Alumni, qui ad publica Provinciæ ejusdem peragenda negotia sunt destinati, commodius ibi, ac religiosius degere possint; utque prædicta emptio firmitus subsistat, & si quis defectus in eā irreperit, opportune sanetur, bene, ac sapienter Sacræ Congregationi Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium supplicem libellum porrigendum curavit tenoris sequentis videlicet.

Eminentissimi, & Reverendissimi D. D. Fr. Franciscus Montanno Procurator Provinciæ Quitenis in Indiis Occidentalibus, atque in S. Theologia Magister humiliter exponit EE. VV. quod alias prædicta Provincia per Scripturam publicam emit à Conventu Sancti Philippi Madritensis quandam Cellam intra clausuram existentem pro usu, & habitatione sui pro tempore Procuratoris, pro pretio mille & sexcentorum ducatorum monetæ de Vellon, ut vocant, cum effectu exhibitum sub sequentibus conditionibus, videlicet.

Prima, quod prædicta Cella perpetuis futuris temporibus sit Provinciæ Quitenis, maneatque sub ejus, & sui pro tempore Procuratoris dispositione, absque eo quod Provincia Castellæ, ejus Provincialis, nec prædictus Conventus Madritensis de prædicta Cella disponere, aliquid in ea innovare, alterare, vel diminuire in toto, vel in parte possint.

Secunda, quod Provincia Quitenis, ejusque pro tempore Procuratores eidem Cellæ, utpote sui juris, de rebus & suppellectilibus Religiosis convenientibus, & necessariis providere possint. Et quod si aliquando contigerit, prædictum Conventum Madritensem ædificium pro parte ad portam curium ut vocant, respiciente, extendere, seu continuare; Tunc illa pars prædictæ Cellæ correspondens assignanda sit eidem Provinciæ Quitenis, quatenus ipsa propriis expensis prædictam partem ædificet pro commodiori habitatione eorundem Procuratorum.

Tertia, quod si ejusdem Provinciæ Quitenis aliquis ex Patribus pro tempore Procuratoribus, in eadem Cellâ è vivis decedere contigerit; tunc nec prædicta Provincia Castellæ, neque Conventus Madritensis quicquam ex mobilibus, vel suppellectilibus in prædictâ Cellâ manentibus, seu ad eam pertinentibus ullomodo præterdere possint; Sed ea omnia usui Patrum Procuratorum prædictæ Provinciæ Quitenis omnino referrentur & relinquantur.

Quarta, quod ut omnibus innotescat, & etiam ex notorietate constet, prædictam Cellam ad Provinciam Quitensem jure optimo pertinere, ipsius nomine prædicti Procuratores titulo, & inscriptione prædictum jus declarante, illam insignire possint.

Vicarii
Literæ Pa-
tentes.

Libellus
S. R. E.
Cardinali-
bus por-
rectus.

Emptionis
Conditio-
nes.

Ante u-
sum Nota-
riatus fidei
confessio
& fidelita-
tis jura-
mentum præstan-
dum.

Transum-
ptorum fi-
des.

Indulta
testandi &
pensionis transe-
ferendi non
suffragan-
tur iis qui
ea aliās ob-
tinuerunt.

Die 5. No-
vembris
año 1678.
P. A. ter-
tio.

Procura-
toris de
emptione
factæ expo-
sicio.

Quinta, quod si dictus pro tempore Procurator extra Conventum, & Villam Matritensem absentiam fecerit, tunc alicui Religioso sibi benivolento de familia ejusdem Conventus cum aotitia R. P. Prioris Localis pro tempore existentis, clavem ipsius Cellæ relinquere debeat, consimilem clavem apud se retinendo. Quæ omnia, & alia perpetuitati, securitati, & omnimodæ indemnitati prædictæ Provinciæ Quitenfis favorabilia, latius & expresse constant ex Instrumento rogato per Acta Vincentii Suares Notarii Regii de numero ejusdem Villæ Matritensis sub die 12. Decembris 1675. Cuius datur collationata copia ad quod &c.

Confirmatio à Congregatione expressa.

Cum autem prædicta Provincia Quitenfis ex illo tunc tempore emptionis in quietà, & pacifica possessione prædictæ Cellæ maneat, eamque titulo & inscriptione ad effectum in quarta conditione relatum insigniverit, & in partibus tam remotis constituta summopere desideret jus suum omnino roboratum, & munitum habere; supplicat humilis Orator nomine prædictæ Provinciæ EE. VV., ut prædictam emptionem unà cum omnibus, & singulis conditionibus, obligationibus & clausulis, in prædicto Instrumento contentis, & expressis, auctoritate Apostolica in formâ specificâ approbare & confirmare dignentur, supplendo omnes & singulos defectus juris & facti, si qui irreperint. Tantique memor beneficii &c. Cui supplici Libello benignissimè rescriptum fuit in hac forma. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, audito P. Procuratore Generali Ordinis, benignè commisit P. Vicario Generali ejusdem Ordinis, ut veris existentibus narratis, & quatenus prædicta Cella sit intra Conventum Matriti ejusdem Ordinis sita, petitam confirmationem pro suo arbitrio & conscientia, Oratori impertiat. Romæ 22. Aprilis 1678. Cardinalis Caspar Carpineus. J. B. Archiepiscopus Januen. Secretarius.

Et impetrata.

Cujus vigore à Vicario Emptionis præsentium approbatur.

Præsentibus exactè observari.

Registrari præcipiuntur.

& possessione dictæ Cellæ respectivè ponant, conservent, relinquant & manteneant. Volumus autem, quod Superior Localis Conventus Nostri Sancti Philippi Matriti Authenticam harum nostrarum Litterarum copiam in communi registro ejusdem Conventus apponi, ac registrari curet, ut de juribus Provinciæ Quitenfis perpetuò constare possit. Datum Romæ in Conventu Nostro Sancti Augustini die 22. Julii 1678. Fr. Dominicus Valvaforius V. G. Apostolicus licet indignus Ordinis Eremitarum Sancti Patris nostri Augustini &c. nostri Muneris affixo Sigillo. Locus + Sigilli.

Et Apostolica confirmatione munitur.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Franciscus Procurator præmissa, quo firmiter subsistant, Apostolicæ quoque confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret; Nos ipsius Francisci Procuratoris votis hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure, vel ab homine, quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium Consilio emptionem prædictam à dicto Dominico Vicario Generali confirmatam & approbatam, ut præfertur, expeditasque desuper illius patentes Litteras præinfertas, cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolicâ tenore præsentium confirmamus & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; Salvâ tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

Decretum roborans.

§. 3. Decernentes easdem præsentis Litteras semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscunque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam, quâvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata & Decretum irritans.

Derogatio contrariis.

§. 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, *sel. record.* Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis, ejusque Provinciarum Quitenfis & Castellæ, ac Conventus prædictorum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 20. Decembris 1678. Pontificatus nostri Anno tertio.

D. 20. Decembris 1678. P. A. tertio.

J. G. SLUSIUS,

Genè-